



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IX. Quantum patientiæ meritum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

tiones tuæ in loco peregrinationis meæ: isthæc vocari posse Cantica graduum. Sed est, inquit, Canticum, quod ex sui singulari dignitate & suavitate meritò cunctis, quæ memoravimus, & si quæ sunt alia, antecellit: & jure hoc appellaverim Canticum Canticorum.. Experti recognoscant, inexperti inardescant, desiderio, non tam cognoscendi, quàm experiendi. Non enim est strepitus oris, sed júbilus cordis: non sonus labiorum, sed motus gaudiorum: voluntatum, non vocum consonantia. Non auditur foris, neque enim in publico personat: Sola quæ cantat audit, & cui cantat, id est sponsus & sponsa.. Est quippe nuptiale carmen, exprimens castos jucundósque complexus animorum, morum concordiam, affectuum consensionem.

IX. *Quantum patientia meritum.* Theologia quartam suggerit rationem, aut si voles additamentum aliarum. Communis in scholis sententia est, ubi par est voluntas, seu propositum, aut intentio, actu exteriori meritum valdè augeri. Exempli causâ, de duobus, ex æquali caritatis actu inæqualem eleemosynam largientibus, plus

plus apud Deum mercedis habiturum, qui plus dederit: de duobus, pro pœna culpis debita satisfacere fatagentibus, jejunantem unum, altero non jejunante, plus facere. Atqui inter opera externa nihil augendo merito accomodatius, quàm advenientes nobis extrinsecùs calamitates, & aspera quævis, voluntati nostræ aut propensione adversa. Primum enim ex eo ipso quia adversa sunt, difficilia sunt, contraque niti oportet. Deinde ex optione nostra non veniunt, nihilque habent amoris proprii, quo pleraque operum nostrorum vitiantur, admistum. Hinc Bernardi verissima vox est, epist. 7. *Vera patientia est, facere quod non libeat: pati, vel agere, contra quod libeat.*

X. *Quanti pretii adversa.* Etiam si ex illis rationibus bene ponderatis pretium tolerantium pro Christo adversorum satis intelligi possit: supervacuum tamen non fuerit, æstimatorum peritorum judicia exquisisse. Qui Caroli Audacis miserè interempti gemmatum annulum, provincie ut aiunt integræ pretio contrà æstimabilem,